

*D. M. St.* EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*I. C. 223.*

SIGNAT. MDLXCCXIII.



IC 223



CAPITA  
DE  
CREATIONE,

Ex Israëlis & piæ vetustatis fontibus, secundum statuta Reverendi Collegij Theologici in Academia Lipsensi proposita

A

M. Georg. Flosculo  
Kitthingensi, S. Theologiae Baculario

Pridie CAL. AVGV.

Anno Iesu Christi

---

M. D. LXXIII.

I 6. 123.



# CAPITULA DE CREATIONE.

I.



*Et si sapientia & consilium DEI de  
creatione omnium rerum, satis per-  
spici & exhauriri non potest: ta-  
men cum Deus hominem ad imagi-  
nem sui creavit, & in hoc amplissi-  
mo theatro Mundi collocavit: vult  
infinitam sapientiam & potentiam suam, etiam  
ex rebus creatis agnosci & celebrari: Quemadmo-  
dum & Apollonius ait: τὰ ἀόρατα αὐτοῦ, ἀπὸ κτί-  
σεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθαροῦ,  
ἢ τε ἀίδιου αὐτοῦ δώαμις ἢ θεότης. Et in e-  
andem sententiam praeclare inquit in concione I.  
eis ἑξαήμερον Basilus: ἀριστοτέχνῳ τῶν σοφῶν  
ἢ ἐντέχνῳ γυμνῶν δοξάσωμεν: Laudare  
& celebrare nunquam intermittamus.*

II.

*Creationis autem dictionem, idem Basilus in  
Apologia ad Caesarianos, triplici significatione in  
Scripturis usurpari scribit, inquit: τρεῖς κτήσεις  
εὐρηκῶν ὀνομαζομένων ἐν τῇ γραφῇ. μίαν μὲν  
ἢ πρώτην, πλὴν ἀπὸ τῆς μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι  
παράγωγῶν. Δευτέραν δὲ, πλὴν ἀπὸ τῆς χείρο-  
ντος εἰς τὸ κρείττονος ἀλλοίωσιν. Τρίτην δὲ, πλὴν  
ἀθανάσασιν τῶν νεκρῶν. Sed illi capiti doctrina,  
quod nunc tractamus prima significatio maxime  
competit. Est enim creare proprie ex nihilo aliquid  
facere. Nec*

I I I.

*Generatio  
causa  
energetica.* Nec difficile est hinc iudicare, quod licet vicina sit generatio creationi: tamen aliquantulum ab ea differat. Habet enim aliquam præiacentem materiam generatio, cum creatio propriè sic dicta, habeat nullam. Usurpatur tamen creationis vocabulum etiam de ijs, quæ ex præiacente materia formantur & fiunt: Ut cum dicitur homo creatus de limo terræ, id est, ex materia, quæ antea à Deo ex nihilo producta fuit, factus & formatus.

I I I I.

*Finis  
causæ* Est autem Creatio externa Dei actio, qua volens ipse omnes res inuisibiles visibilesq; singulari consilio suo, ex nihilo fabricavit, ad eum præcipuè finem, ut se, sapientiam, bonitatem, iusticiam & misericordiam suam, imprimis rationali creaturæ patefaceret & communicaret, æternamq; Ecclesiam sibi conderet, quæ ipsum agnosceret, inuocaret, celebraret, & in qua tanquam in templo suo perpetuò habitaret.

V.

Est q; operæ precium constituta definitione creationis, causas illius considerari. Atq; de efficiente teneatur, quòd Deus pater Domini nostri IESU CHRISTI, unà cum Filio coeterno, & Spiritu sancto, totam molem istam (ut Tertulliani in Apologet. utar verbis) cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit, in ornamentum maiestatis suæ, vnde & Græci nomen Mundo κόσμος, accommodauerunt.  
Quod



V I.

Quod enim dicitur Gen. 1. **בְּרָא אֱלֹהִים**  
 non temerè excidisse eam orationis formam Mosi  
 existimandum est: Sed uoluit is uerbo singulari  
**בְּרָא** unitatem essentia diuina: Nomine uero plu-  
 rali **אֱלֹהִים** significare personarum Trinita-  
 tem. Nec dubium est, cum toti Trinitati commune  
 sit opus creationis & conseruationis rerum omni-  
 um, ad hunc, & similes locos respexisse Dauidem  
 Psal. 33. cum dicit: Verbo Domini cæli firmati  
 sunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum.  
 Hic enim fit mentio **DOMINI**, hoc est Dei Pa-  
 tris, **VERBI**, id est Filij Dei, & **SPIRITVS**,  
 id est Spiritus Sancti. Nam & Basilius lib. de Spir.  
 Sanct. cap. 16. inquit: Αρχὴ ἢ τῶν ὄντων μία  
 δι' ἣς δημιουργῶσα, ἢ τελειῶσα ἐν πνεύματι.  
 Est igitur rerum creatarum omnium causa πρῶτη  
καταρκτική aeternus Pater, δημιουργική aeternus  
 Filius, λόγος & ἰμᾶγο πατρὸς, τελειωτική Spiritus  
 Sanctus.

V I I.

De causa creationis impulsua, Augustin. lib.  
 X I. de ciuitate Dei cap. 24. ait: In eo quod dici-  
 tur: Vidit Deus quia bonum est, satis significatur,  
 Deum nulla necessitate, nulla suæ cuiusq; utilitatis  
 indigentia, sed sola bonitate fecisse, quod factum  
 est. Huc quoq; alludit Eusebius lib. 4. demonst.  
 Euangel. Et Theodoretus oratio. 2. de prouidentia.

Meditentur itaq; piæ mentes, ac diurnis nocturnisq; versent manibus, dulcissimarum consolationum plena sacra scriptura testimonia, quæ solidè nos de Dei prouidentia & omnipotentia erudiunt, ac perspicuè docent, res non solum conditas esse à Deo, (vt Rom. 11. ὅτι ἐξ αὐτῶ, καὶ δι' αὐτῶ, ἐκ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα.) Sed seruari etiam sustentariq; vniuersa: Et adesse Deum nature rerum, neq; vt fabrum nauis extracta, nautisq; relicta, discedere ab opere suo, Psal. 33. 100. 104. psalmographus perspicuè testatur: Et Paulus in Act. 17. Atheniensibus concionatus fuit: In ipso viuimus, mouemur, & sumus: Subiiciendo hæc verba ex veteri Poëta Arato: τὸ θεῶν ἔστι μὲν ἔσθ' ἔσθ' ἔσθ'.

Ex prædictis autem manifestum fit, grauissimè eos esse lapsos, qui ab aliquo alio, quàm à solo Deo, res vllas esse creatas contenderunt: Quem errorem pestilentem, Simon Magus ætate Apostolorum primus, (teste Epiphanio lib. I. hæres. 21.) introduxit. Deinde Cerinthus, Carpocrates, Archontici simpliciter quibusdam virtutibus, seu spiritibus & potestatibus, attribuere creationis omne munus. His astipulabatur etiam confictor multorum seculorum Basilides, vt Augusti. lib. de hæres. meminit. Eadem quoq; opera redarguuntur Gnostici, Marcionista, Cerdoniani, Valentiniani, & Manichæi, sese inuicem per interualla temporum ad Augustini vsq;

vsq; etatem secuti: Item perniciosissimi feroces Epicureorum & Stoicorum: Quorum hi, fingunt Deum alligatum esse causis secundis, nec quicquam aliter posse facere, quam vt secunde cause cient: Illi contendunt, omnia casu volui atq; confundi.

X.

Horum autem & similium errorum refutatio, non nisi ex fontibus Israëlis sumi potest: In Esaia enim 45. ipse Deus introducit, loquens: Ego DOMINVS, & non est amplius, præter me non est Deus. Psal. 115. expressè affirmatur: DOMINVS noster in cælo, omnia quaecunq; voluit, fecit: Et Psal. 136. longam enarrationem operum Dei instituit: Similia testimonia habentur Matthæi 10. Ebr. 1. Coloss. 1. 1. Timoth. 6. vbi Deus omnia viuificare perhibetur.

XI.

Intelligere ergo debemus, Deum aeternum creasse totum hoc Mundi σύστημα, ὃς οὐρανὸς καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων, (vt Aristotelis de Mundo utar verbis) in principio, ante annos nimirum 5535. vt testimonium Ps. 103. perspicuè declarat: Quam magnifica sunt opera tua DOMINE, omnia in sapientia fecisti, impleta est terra bonis tuis.

XII.

Si verò usquam alibi, de materia certè creationis monendi sunt homines, ne nimium sibi sapere videantur, δεῖ γὰρ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, vt

A 4

Apo-

Apostolus loquitur. Siquidem scriptura sacra, nullam materiam increatam agnoscit, sed potenti verbo Dei, simul omnes creaturas productas esse affirmat, sicut legitur Genes. 1. cap. Dixit Deus, Fiat lux, fiat firmamentum, & facta est lux, factum est firmamentum. Sic Psal. 33. visibili inuisibiliq; creatura commemorata, ubi ad factorem earum hymnis celebrandum, illas est cohortatus, infert: Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse precepit, & creata sunt. Item: Extendens caelum sicut pellem, tegens aquis superiora eius.

### XIII.

Videmus igitur tantam esse Dei potentiam & vim, ut nulla etiam praesistente materia, solo verbo condiderit vniuersa. Ipse enim inquit ad Abrahamum Genes. 17. **אֲנִי אֱלֹהִים** id est, Ego sum Deus efficiens vel omnipotens. Et Coloss. 1. Filius vocatur principium ante omnia existens, per quod, & in quod creata sunt omnia, & per quod insuper consistunt. Ut etiam in Iohanne, & epistola ad Ebrae. capit. 1. scribitur. Item Apocalyp. 1. Ego sum  $\alpha$  &  $\omega$ , principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.

### XIIII.

Philosophi sanè de omnium rerum principijs, varijs disputarunt modis: Materiam enim certam ex qua res orta essent, semper arbitrati sunt extitisse. Ut Heraclitus ignem: Diogenes aërem: Thales Mi-

los Milesius aquam, omnium rerum principium esse docuit : Democritus atomos : Empedocles elementa quatuor : Stoici duo aeterna, Deum siue mentem, & naturam siue materiam finxerunt : Poeta duo principia, Deum & χᾶσ : Plato imitatus Stoicos, insuper ideam addendo, tria esse principia rerum omnium voluit, Deum, materiam, & ideam : Aristoteles quoq; tria, materiam, formam, & priuationem. Omnium autem absurdissime locuti sunt, qui plures sibi inuicem succedentes mundos numerarunt, certa q; seculorum periodo productos, rursusq; finitos statuere. In quo errore nefando etiam fuit Origenes, quemadmodum videre licet in lib. πρὸς ἄρχαίους : Et apud Hieron. in epistola ad Auitum.

#### XV.

Verum de his & similibus, hominum etiam sapientissimorum opinionibus rectissime usurpari illud Epiphanij contra Aetium potest, cum inquit : Ratiocinationes hominum miserae sunt, & ipsorum cogitationes corruptibiles, & seipsas inuoluunt, & transfigunt in syllogismos & quaestiones.

#### XVI.

Quod uero ad rerum creatarum enumerationem attinet, splendide amplificatam illam σὺνοψιν Tertulliani subicere libuit, qua veluti tabula Apellis peritissimi pictoris depinguntur, & tanquam clauae aperiuntur, quae MVNDI vocabulo inclusa sunt

A S

sunt

sunt vniuersa. Sic enim inquit in libro de Trinit.  
Regula exigit veritatis, vt primò omnium creda-  
mus in Deum patrem, & Dominum omnipoten-  
tem, id est rerum omnium perfectissimum condito-  
rem, qui cœlum alta sublimitate suspenderit, ter-  
ram deiecta mole solidauerit, maria soluto liquore  
diffuderit, & hæc omnia proprijs & condignis in-  
strumentis & ornata & plena digesserit. Nam &  
in solidamento cœli luciferos Solis ortus excitauit,  
Lunæ candentem globum ad solatium noctis, men-  
struis incrementis orbis impleuit: Astrorum etiam  
radios, varijs fulgoribus micantis lucis accendit:  
Et hæc omnia, legitimis meatibus circumire totum  
mundi ambitum voluit, humano generi dies, men-  
ses, annos, signa, tempora, vtilitatesq; factura.  
In terris quoq; altissimos montes in verticem sustu-  
lit, valles in ima deiecit, campos æqualiter stra-  
uit: Animalium greges, ad varias hominum serui-  
tutes vtiliter instituit. Sylvarum quoque robora  
humanis vsibus profutura solidauit, fruges in ci-  
bum elicuit, fontium ora reserauit, & lapsuris flu-  
minibus infudit. Post quæ, ne non etiam ipsis  
quoq; delicijs procurasset oculorum, varijs florum  
coloribus ad voluptatem spectantium cuncta vesti-  
uit. In ipso quoq; mari, quamuis esset & magni-  
tudine & vtilitate mirabile, multimoda anima-  
lia, nunc mediocris, nunc vasti corporis finxit, in-  
genium artificis de institutionis varietate testan-  
tia. Quibus non contentus, ne forte fremitus &  
cursus aquarum, cum dispendio possessoris humani  
alienum occuparet elementum, fines litoribus in-  
clusit:

clusit: Quò cum fremens fluctus, & ex alto sinu  
spumans vnda uenisset, rursus in se rediret, nec  
terminos concessos excederet, seruans iura præscri-  
pta: Vt diuinas leges tantò magis homo custodiret,  
quantò illas etiam elementa seruassent. Post quæ,  
hominem quoque mundo præposuit, & quidem ad  
imaginem Dei factum: Cui mentem & rationem  
indidit, & prudentiam, vt Deum posset imitari:  
Cuius etsi corporis terrena primordia, cœlestis ta-  
men & diuini halitus inspirata substantia. Quæ  
cum omnia in seruitutem illi dedisset, solum libe-  
rum esse voluit. Hæc Tertull. de visibilibus creatis  
substantijs.

#### XVII.

Neq<sup>3</sup> tamen ignorandum est, quod à Deo pro-  
ductæ sint creaturæ, non tantum visibiles atq<sup>3</sup> cor-  
poræ, verum etiam (vt Coloss. 1. scribitur) inui-  
sibiles, & incorporæ, spiritualesq<sup>3</sup>, quales in pri-  
mis sunt angeli. Nam bonos & malos esse ange-  
los, cum experientia, tum sacra testantur litera.  
Et quod spiritus creati sint à Deo, expresse affirmat  
Psalmus 104. Qui facis angelos tuos spiritus, &  
ministros tuos ignem flammantem. Quod enim  
dicit Moses initio 2. capit. Genes. Consummauit  
Deus omne opus suum: Vbi voce מַלְאָכָיו non-  
nulli etiã angelos comprehēdi, & inde מַלְאָכִים  
nuncupatos esse volunt, quod ad vsum hominum ac  
præcipuè Dei gloriam sint conditi & ablegati.  
Hinc epistola ad Ebræos cap. 1. nominat angelos  
λατῶς=

λειτουργικὰ πνεύματα, εἰς Δακονίαν ἀπο-  
σελλόμενα, Δὲ τὰς μέλλοντας κληρονομεῖν  
σωτηρίαν: Quod Theodoretus duobus vocabulis  
ὑμῶσι καὶ Δακονῶσι, eleganter significare vo-  
luit.

## XVIII.

Ad formalem creationis causam, rectissime  
accommodari potest clausula cap. 1. Genes. Vidit  
Deus omnia quæ fecerat, & ecce erant valde bona.  
Quo omnium bonorum naturalium, vtilium, sua-  
uium, & moralium plenam perfectamq; notatio-  
nem significari videmus: Atq; simul perspicue o-  
stendi, Deum omnis boni in natura autorem esse,  
(vt Plato eum describit, Θεὸς ἐστὶν ἁπλῶς αἰδίων,  
τὸ ἀγαθὸν φύσεως αἰτία) neq; effectorem aut  
causam mali, nec delectari peccato, nec iuuare nec  
approbare illud, vt Manichæi, Stoici, aliq; recen-  
tiores, proterue atq; blasphemè contenderunt.  
Namq; Psal. 5. expressè dicitur: Non Deus volens  
iniquitatem tu es, neq; habitabit iuxta te malignus.  
Mala itaq; in Diabolo & hominibus, non sunt  
à Deo, sed ipsimet sunt eorum autores: Quemad-  
modum Iohannis 8. cap. Christus asserit, inquiens:  
Diabolus in veritate non stetit. Item 1. Iohan. 3.  
Qui facit peccatum, ex diabolo est. Sicut alibi de  
hoc capite, doctrina Christianæ copiosiores decla-  
rationes extant.

Finalis



XIX.

Finalis quoq<sub>3</sub> caussa creationis, diligenter consideranda est, & perpendenda: Quae & ipsa sapientiam, potentiam, & bonitatem Dei abundè declarat. Quodq<sub>3</sub> vulgo dici solet, Ex opere ipso artificem commendari, id verissimè de Deo affirmatur. Nam & præclarè Augustinus ait: Ex perpetuitate creaturarum intelligitur Creator æternus, ex magnitudine omnipotens, ex ordine & dispositione sapiens, ex gubernatione bonus. Omnia itaq<sub>3</sub> hominum caussa initio facta creataq<sub>3</sub> esse, historia creationis apertè ostendit. Et res ipsa declarat, hunc ordinem diuinitùs institutum esse in natura, vt semper inferioris gradus res seruiant superiori: sicut manifestum est, elementa plantis, herbis, brutis, hominibus: Plantas brutis & hominibus: Bruta hominibus seruire. Homo verò, nisi à suæ conditionis fine recedere uelit, Deo se ministrum præbere debet. Atq<sub>3</sub> hinc est quod Prouerbiis. 16. scriptum legitur: Omnia creauit Deus propter se, etiam impium, ad diem malum. Et quod in Psal. dicitur: Omnis spiritus laudet Dominum. Item Apostolus, ex ipso, inquit, Per ipsum, & in ipsum sunt omnia, Ipsi gloria in secula, Amen.

XX.

Voluit enim Deus existere creaturas cum aliis, tum inprimis rationales, in quas riuulos suæ sapientiae & bonitatis diffunderet, & à quibus vicissim  
(præ-

(praesertim ab Ecclesia) agnosceretur & celebraretur. Scriptum enim est Deut. 26. Et faciet te excelsiorem cunctis gentibus, quas creauit in laudem, & nomen, & gloriam suam. Et Ecclesiastes 12. cap. inquit: Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuae. Theodoretus quoque, oratio. 4. de prouid. de ceteris rebus creatis praclare dixit: Cum coelum ipsum in oculos incurrat, tantam habens magnitudinem & pulcritudinem, ut nulla species ne excogitari quidem possit ornatio, & instar tecti multiplicem usum hominibus praebeat, tacitum praconium de creatore facit, & omnium linguas eius ὑμνωδία huius Architecti exuscitat. Eadem de re Gregor. Nazianz. concione de natiuit. Filij Dei. Item ad Nemesium praclare verba facit: Et Psal. 148. atque sequentibus, nec non hinc inde in sacris praecipitur scripturis, ut ipsae creaturae glorificent & laudent Deum conditorem.

## X X I.

Atque haec de Creatione generalis indicatio (quae & vera est, & saepius cogitata, mentes pias salubriter erudit, & consolatur) in praesentia sufficiat: Nec querantur anxie subtiliores quaestiones, quae magis implicare quam docere, magisque cruciare quam erigere pias mentes possint. Et forsitan non incongruens fuerit, quaestiones absurde motas, circa hanc quoque doctrinae Christianae partem, retundere pariter absurda responsione. Sicut curiosis

riosis sciolis, quid ante conditum Mundum Deus fecerit, quærentibus, conuenientem responsionem dedit D. Augustinus: Dum ipsum in fabricandis inferis, ad talia mouentes puniendos, occupatum fuisse, dixit.

X X I I.

Admoniti autem dicto Bernhardi pio, considerationeque digno, quod habetur sermone 14. supra Psal. 90. ubi inquit: Si quis oculorum lumen: Si quis usum aurium: Si quis narium: Si quis manuum: Si quis pedem tibi præpeditum aliquo modo reparasse videretur: Si quis sopitam quauis occasione excitasse in te rationem: Quis non alius tibi vehementissimè succenseret, si quando fortè beneficij huius immemorem, aut benefactori deprehendisset ingratum? Enimuero Dominus Deus tuus, etiam ipsa instrumenta tibi largitus, ex nihilo fecit hæc omnia. Nec modò fecit, sed & compegit, etiam & formauit, & suo quoque illustrauit officio. Quomodo non is suo iure gratias exigit ampliores?

Agamus gratias, quas pectore nostro concipere possumus maximas, vni, soli, & vero DEO, in tribus coæqualibus & coæternis personis, Patri, Filio, & Spiritui sancto, qui solus habet immortalitatem, ac lucem inaccessibleem inhabitat,  
qui

qui pro infinita sapientia & potentia sua,  
creauit cœlum, terram, mare, ac omnia  
quæ his continentur, eademq̃ admira-  
bili consilio, & prouidentia, adhuc su-  
stentat, regit, & conseruat: Et serio ore-  
mus ipsum, vt nos ad imaginem suam cre-  
atos, clæmenter luce suæ doctrinæ per-  
fundat, Spiritu suo sancto regat & guber-  
net, nosq̃ salutaria organa efficiat, serui-  
entia gloriæ sanctis. nominis ipsi-  
us, Ecclesiæ Christianæ in-  
columitati, ac nostræ  
ipforum saluti.

A M E N.



L I P S I Æ

I O H A N N E S R H A M B A  
excudebat.

viii

Aug IC 223


ULB Halle


3

002 491 397



56





CAPITA  
DE  
CREATIONE,

Ex Israëlis & piæ vetustatis fontibus,  
secundum statuta Reverendi Collegij Theologici  
in Academia Lipsensi  
proposita

A

M. Georg. Flosculo  
Kitthingensi, S. Theologiae  
Baculario

Pridie CAL. AVGV.

Anno Iesu Christi

M. D. LXXIII.

I 8. 123.